

www.e-rara.ch

Theatrum orbis terrarum

Ortelius, Abraham

Antverpiae, 1603

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: T 33

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-92309>

Daciae. Et Moesiae.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

D A C I A E.

E T

M O E S I A E.



L N C O L A S huius regionis Daciae Dacos Graeci vocauerunt; Getas vero Romanis testes Plinius, Dion, Stephanus, & alij; (adfirmat hoc quoque horum rex quondam Cotiso, quem Suetonius Getarum dicit; & Horatius Dacum.) siue Gothos, ut placet Iordanis. Sub Scytharum autem nomen video hos ab antiquioribus, ut Herodoto & eius seculi scriptoribus comprehendi. quibus adfertur quoque dictus Iornandes. Daos etiam nominat eos dictus Stephanus. & Dauos, Strabo. qui hos ita discernit, ut Getas magis ad Orientem, Dacos vero ad Occidentem vergere dicat. Eade tamen lingua hos uti, & vna cum his Tracis, Germanica nempe; ex Plinio & Iornande doceri potest. Getas quoque Apathanizotas vocari, scribit Arrianus. Athanizotas autem scribendum, ex Herodoti 4. quali immortales. nam mori se minimè putant. sed ad Zamolxim quendam post obitum meare. de quo plura apud eundem. Patzinacitarum nomine suo tempore innotuisse, tradit Suidas. Hos Dacos vtramque Danubij ripam inhabitasse; ad Hæmum montem etiam, apud Dionem lego. quem sub horum nomine Mæfos quoque comprehendere video. Et Dacos hos eisdem non semel in has Mæcias postea transductos, inferius demonstrabimus. Duplicem itaque eandem Daciam ideo facit D. Paullinus, de reditu Nicetæ, hoc versu: *Et Getæ currunt, & vterque Dacus.* Duarum Daciarum in Digestis mentio. At de Mæsis postea. nunc de ipsa vera D A C I A, cuius limites facit Geographorum princeps Ptolemæus, Danubium, Tibiscum, Hierasum flumina, & Carpaten montem. Iornandes hinc oriundus, huic ab Oriente Roxolanos tribuit, ab Occasu Tamazites. (Iazyges legere malo, ad hoc inductus rei verisimilitudine; item alterius codicis lectione, qui Taziges habebat.) à Septemtrione Sarmatas & Bastarnas, à Meridie amnis Danubij fluente. Hæc Dacia, ut idem inquit, in conspectu Mæsiæ trans Danubium corona montium cingitur, duos tantum habens accessus: vnum per Bontas, alterum per Tabas. (Taphas Xiphilini puto) Succorum angustias his addit Amm. Marcellinus. Hanc Eutropius, Aurel. Victor, Marcel. Comes, Lib. Notitiar. & Historia Miscella, in Mediterraneam & Ripensem diuidunt. Sunt (inter quos Lazius) qui Alpestem addunt, quo freti antiquorum scripto, mihi ignotum. Vannianum quoque regnum, de quo Tacitus & Plinius, in hoc terrarum tractu videre est. Atque hæc est propriè ipsa prouincia Dacia, quam Eutropius dicit decies centena miliaria in circuitu tenere. Huius regia Zarmisogethusa, quæ postea COLONIA VLPIA TRAIANA AVG. DACIC. ZARMIS. uti in lapidibus inscribitur, denominata ab Vlpio Traiano Imp. fuit. Hic enim eam, & totam regionem, deuicto eius rege Decebalo, in prouinciam redegit. De quo bello à Traiano contra Dacos gesto (quia libri ab ipso, de hoc descripti, quos citat Priscianus grammaticus, periere,) legendus est Dion in huius vita. & videnda cochlea columna à Senatu Romano in huius Foro, vbi hæc tenus integra superest, erecta. Hanc sua manu delineatam Hieronymus Mutianus pictor celebris edidit, Romæ: foliis centum & triginta. Eandem ibidem explicauit F. Alphonfus Ciaccontus commentario docto tam & laborioso, ut spectare in eo hoc bellum potius, quam legere studiosus videatur. Montibus inhære hanc regionem, scribit Florus, item saltuosam, idem. Curionem enim Dacia tenuis venisse, sed saltuum tenebras expauisse, tradit. Deserta Getarum apud Strabonem 7. & Virgiliū sunt, Georg. 3. Gentem indomitam, ait idem. Hirsutos, & intonfos, pellitos, inhumanos, rigidos, truces, braccatos, vocat Statius. Faciem suam pingere, apud Plinium lego. Truculentior in Orbe esse nullam, cecinit qui eam vidit non tantum, sed habitauit, Ouidius. Bellicosam, docet Vegetius. ut quibus nempe, summo Poëta teste, pater Gradius præsideat. Belli potens, etiam Claudiano nominantur. Scribit ex Aufidio Modesto Philargyrius, cum ad bella proficiscuntur, non prius rem capere, quam de Istro certum modum haurientes ore, in modum sacri vini, iurarent non se ad patriæ sedem regressuros, nisi hostibus cæsis. & idcirco Virgilius dixisse Istro coniuuratum. Cum Orote (Olore alius codex legit, Role ex Dione lego) regio hos aliquando aduersus Bastarnas male pugnasse, tradit Trogus: ad cuius vltionem segnitie, capturi somnum capita loco pedum ponere, iussu regio cogebantur, ministeriaque vxoribus, quæ antea ipsis fieri solebant, facere. Horum vires olim adeo creuisse, Strabo auctor est, ut ducenta millia hominum in bello educerent. De his quoque hoc Siliij forte, *At gente in Scythica suffixa cadauera trūcis, Lenta dies sepelit putri liquētia tabo.* Dacos quosdam PLISTOS vocari scribit 2. contra Appionem Iosephus: quorum vitam cum Essenorum comparat. Hos C T I S T A S Strabonis putauerim, ex Abiorum gente. Atque hæc de Dacia, nunc de Mæsis, qui olim, ut habet ex Homero Dion Prusæus, Mysi dicebantur.

M O E S I A nomine omnis ea regio, quam Sauus in Istro incidens, supra Dalmatiam & Macedonia Thraciamque à Pannonia dirimit, vocari cepit. in qua Mæsia cum aliæ multæ gentes, tum qui olim Triballi nominati sunt, iique quos hodie Dardanos nominant. Dionis Nicæi hæc sunt verba interprete Xylandro. Iisdem limitibus quoque à Ptolemæo circumscribitur. Plinius etiam hanc à confluentia Sauus in Danubium, ad Pontum vsque ab Oriente extendit. & ad Histriam vsque, ab Occidente, Iornandes. Diximus Mæsiæ quondam dictas Dacias, cuius testem Fl. Vopiscum habeo: qui scribit Aurelianum Imp. hinc oriundum abduxisse ex Dacia populos, atque in Mæsiam collocasse, eamque vocasse suam Daciam, (Aurelianam nempe) quæ nunc duas Mæsiæ diuidit: Idem Suidas, in voce, Dacia. Prouinciam Daciam, inquit Eutropius, (de eodem Aureliano) in Mæsia collocavit, & est in dextra Danubio in mare fluenti, cum antea fuerat in læua. Sex. Rufus autem duas Dacias ab eodem in regionibus Mæsiæ ac Dardania factas, tradit. Inde in Codice hæc verba leguntur, *Mediterranea Mysia, seu Dardania.* Sub Dacia comprehensam, præter has dictas regiones, quoque fuisse Præualitanam, & partem Salutaris Macedoniae regionis prouincias, testis est Liber Notitiar. De populis hic aliunde translatis, etiam Strabo scribit, suo nempe tempore (quem sub Augusto & Tiberio vixisse constat) ab Aelio Cato, (siue ut ex Dione maualt legere Casaubonus, Licinio Crasso) traductos, ex trans Istro sitis Getis, hominum quingenta millia in Thraciam, & Mysos appellatos. Inscriptio antiqui lapidis extat in Smetij volumine, quæ dicit *Ælium Plautium Mæsiæ Proprætorem* in hanc plura quam centum millia Transdanubianorum cum coniugibus ac liberis, & principibus aut regibus suis transfudisse. Hanc Mysiam, siue, ut apud Latinos ferè est, Mæsiā, in SUPERIOREM & INFERIOREM diuidit Ptolemæus. hæc SECUNDA, illa PRIMA vocatur in Codice Iustiniani. Inferiorè nominat Iornandes MINOREM SCYTHIAM: Zosimus SCYTHIAM THRACENSEM: Plutarchus in Mario, SCYTHICAM Ponticam: & eius habitatores Celto-scythas. PONTICA Maritima, siue littoralis Παρολία vocatur apud Polyænum 8. PONTVS simpliciter, non semel ab Ouidio, alijsq. Et sunt qui FLACCIAM nominant: à Flacco quodam Romano, quem his locis aliquando præfuisse, ex Ouidio liquet. Atque à veritate hoc non alienum videtur, ex nomine quo hæc tenus innotuit, *V Vallachia* nempe, siue *Valachia*. Ab Ouidio quoque sub his nominibus, Sarmaticum solum, Geticum litus, Cimmericum litus, & Barbaria, non semel describitur. Regiones sunt fructuum vberimæ, adeo, ut teste Solino, Cereris horreum nominauerit Romana antiquitas. Eius incolæ *Εγγεμύχοις*, id est, eminus pugnantibus, nominari à poëtis, annotauit Procopius 4. *Ædificior. Mysos in plaustra feroces. & Quam Geticū ingēs premeretur Mysia plaustris.* sic de iis Claudianus. *Dant illis animos arcus, pleneq. pharetra.* Ouidius 1. de Ponto. Scytharum incurSIONEM propulsare, & suis viribus regionem suam defendere, docet Ælianus. Maiorem in modum latrocinii deditos, scriptum reliquit Strabo. *Vix hac inuenies totum, mihi crede, per Orbem, Quæ minus augusta pace fruatur humus.* ut canit Tomitanus ille exul. Et idem alibi, *In quibus est nemo qui non coryton & arcum, Telaq. vipereo lurida selle gerat.* Quam feri, quam truces fuerint, audi ex Floro, Vnus ducum, ante aciem postulato silentio, *Qui vos inquit estis? Responsum intucem Romani, gentium domini.* Et illi, Ita inquit, si nos viceritis. Ab animalium esu hos abstinere, religionis ergo, apud Strabonē Posidonius auctor est. eosque tantum caseo & lacte vesci. Apud eisdem, ut refert Ælianus, cum equorum genus coit, quidam velut hymenæum quendam, nuptijs præcinent. vnde cantus suauitate permulsa equæ mox grauidæ fiunt: & formæ pulchritudine eximios pullos ex sese pariunt. In ea Mæsiæ parte qua Pontica est, ut habet Solinus, herba apparet qua oleum inficitur, quod vocant medicum. hoc ad incendium excitatum si obruere aqua gestias, ardet magis, nec aliò sopitur, quam iactu pulueris. In Mæsia, Dardania regio quoque, quam MYSIAM Mediterraneam vocatam diximus, ex eo nempe quod quam longissimè à flumine Danubio sita: de cuius populis, idem auctor hæc, Per vniuersam vitam audio hos ter solummodo in vita lauari: post partum, cum nuptias ineunt, & cum mortem obierunt. De Triballis Mæsiæ quoque populis, ex Ifigono hæc Plinius. Visu effascinant, interimuntque quos diutius intueantur, iratis præcipue oculis: quod eorum malum facilius sentiunt puberes. Notabilis est, quod pupillas binas in oculis singulis habeat. Qui plura de hoc terrarum tractu velit, in primis de situ Mæsiæ Inferioris, adeat Ouidium 1111. de Ponto, Elegia 1. & 1111. & x. De ritu & moribus inueniet apud eundem V. Tristium, Elegia v 111. De Danubio siue Istro flumine, quem Europæ fluuiorum regem nominat Ælianus 14. Animal. cap. 23. ab Apollonio 4. Argonauticor. Cornu Oceani vocatur. quia regiones hic descriptas per medium interluit, non nihil adnotare quoque lubitum. Hunc proxima magnitudine post Nilum omnium fluuiorum Imperij Romani maximum, legimus in Sallustij Fragmentis. Babylonios reges ex Danubio siue Istro aquas inter gazas reposuisse, annotauit Gyraldus, Syntagmate 17. Deorum. Nazianzeni frater Cæsarius in suis Dialogis, dicit hunc vnum esse ex Paradisi fluminibus. eum utpote, quem sacra litteræ Phison nominant, quod illi tum facile concedam, cum mihi concesserit, sub Paradisi nomine totum comprehendere Orbem terrarum, quod ipsum mihi verisimile. Hunc eundem Danubium tradit Seneca v 1. Natural. Europam Asiæque disternare hoc tamen omnes vtriusque linguæ siue veteres siue recentiores scriptores ad vnum Tanai flumini adscribunt. Et quis quæso Germaniam, quæ vltra hunc fluuium, Asiaticam regionem vnquam somnauit? An mutanda lectio? aut potius retinenda, Acronis fide, ad Horatium? vbi tradit Tanaim etiam Danubium dictum. iudicent peritiores. Huius sententiæ videtur Isidorus Originum 17. cap. 9. vbi scribit reubarbarum trans Danubium in solo barbarico nasci. Nasci enim ad Rha fluuium scimus hodie, qui est vltra Tanaim Orientem versus. Vtrumque autem & Danubium & Tanaim, scio hodie ab accolis suis Done nominari. De hoc flumine apud Plinium lego, eius singula ora tanta esse, (vides ea in hac tabula) ut prodatur in quadraginta millia passuum longitudinis vinci mare, dulcemque intelligi haustum. Adicit Polybius 1111. ex hac huius aquæ in Pontum defluentia, tumulos quosdam fieri ex colluue deuectæ materiæ, quos nauæ Stethæ siue Pectora nominant, vnus diei itinere à litore distantia: in qua sæpè numero delati, per noctem nauæ periculum faciunt. Horum meminit quoque Strabo. Qui plura de huius fluminis nomine, natura, fonte, ostiis, fluminibus in eundem delabentibus scire desiderat, Guilielmi Stukij Commentaria ad Arriani Periplus maris Euxini adeat, ibi enim abundè atque doctissimè hæc omnia ab eo describuntur. De Thracibus, Mæsiis, Getis, Dacis, huiusque tabulæ regionibus, & gentibus, qui plura etiam velit, Strabonis librum septimum, eiusque Epitomen legat.



NOBILISS. DNO IOANNI GEORGIO
 A WERDENSTEIN ECCLESIAE
 AVGVSTANAE ET EYCHSTETEN-
 SIS CANONICO, SERENISSIMI
 DVCS BAVARIAE CONSILIARIO,
 SVPREMOQ. BIBLIOTHECARIO,
 ABRAH. ORTELIVS
 AMORIS MNEMOSYNON HOC D D.

**DACIARVM,
 MOESIARVM
 QVE VETVS
 DESCRIPTIO.**

Vrbes Moesiae II. incognitae positionis: Accisum,
 Anfanum, Anthia, Aphrodisias, Budine, Borcobe, Ca-
 becius, S. Cyrilli, Evmenia, Gemela, Germania, Ibeda,
 Latra, Libisus, Melolanum, Megara, Parthenopolis,
 Scaryca, Talamonum, Thamyris, Theodoropolis, Tro-
 ezen, Ustiana, Z. Z. ygere. Moesiae I.
 Dapline, Lepidivata, Pincum, Regina, Z. Z. mima.
 Daciae: Aycis, Berzobis, Burgus, Siofia, Sofliaca, et
 Zerna. Flumina Daciae: Atarnus, Atres, Atlas,
 Auras, Lygimus, Maris, et Nos. Mons: Coergetus.

Ex sonatibus Abra-
 ham Ortelij
 1595.

Praefuit his Graeciae locis modo Flaccus, et illo
 Ripa ferax Istri sub duce tuta fuit
 Hic tenuit Mysias gentes in paec fideli:
 Hic arcu fisis terruit ense Getas.
 Ovid. 4. de Ponto, Eleg. 9.

